

## **Isidor ze Sevilly, Etymologiae, lib. XVIII**

### **Caput LX. DE TABULA.**

Alea, id est lusus tabulae, inventa a Graecis in otio Troiani belli a quodam milite Alea nomine, a quo et ars nomen accepit. Tabula luditur pyrgo, calculis tesserisque.

### **Caput LXI. DE PYRGIS.**

Pyrgus dictus quod per eum tesserae pergent, sive quod turris speciem habeat. Nam Graeci turrem πύργον vocant.

### **Caput LXII. DE CALCULIS.**

Calculi vocati quod lenes sint et rotundi. Unde et calculus dicitur lapis brevis, qui sine molestia sui brevitate calcatur. Item calculi, quod per vias ordinales eant, quasi per calles.

### **Caput LXIII. DE TESSERIS.**

Tesserae vocatae quia quadrae sunt ex omnibus partibus. Has alii lepusculos vocant, eo quod exiliendo discurrant. Olim autem tesserae iacula appellabantur, a iaciendo.

### **Caput LXIV. DE FIGURIS ALEAE.**

Quidam autem aleatores sibi videntur physiologice per allegoriam hanc artem exercere, et sub quadam rerum similitudine fingere. Nam tribus tesseris ludere perhibent propter tria saeculi tempora: praesentia, praeterita, futura; quia non stant, sed decurrunt. Sed et ipsas vias senarii locis distinctas propter aetates hominum ternariis lineis propter tempora argumentantur. Inde et tabulam ternis discriptam dicunt lineis.

### **Caput LXV. DE VOCABULIS TESSERARUM.**

Iactus quisque apud lusores veteres a numero vocabatur, ut unio, [binio,] trinio, quaternionio, [quinio], senio. Postea appellatio singulorum mutata est, et unionem canem, trinionem suppum, quaternionem planum vocabant.